



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XVIII. De solitaria, & quieta rerum divinarum commentatione singulis diebus ex professo usurpanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

tam ducit vitam , & rerum gerendarum curis distentam ; quin possit , & si ardentem DEUM amat , facile etiam possit assiduam in suo animo illius memoriam , & presentiam fovere. Nè quisquam ( ita sanctus Præsul ) mihi dicat , quòd nequit homo sæcularis , affixus foro , continuè per diem orare. Potest enim & quàm facillimè. Ubiunque sis , potes altare tuum constituere. Licet genua non flectas , nec in cælum manus extendas , si mentem tantùm ferventem exhibeas ? orationis perfectionem consummaveris. Licet in balneo sis , ora : ubiunque sis , ora. Templum es , nè locum quæras. Deus semper propè est. ( Hom. 79. ad Pop. )

## CAPUT XVIII.

De solitaria , & quieta rerum divinarum commentatione singulis diebus ex professo usurpanda.

**D**iximus suprà , quemvis hominem spiritualis profectûs cupidum , præter jugem in mediis vitæ actibus DEI memoriam ; debere itèm certum aliquod sibi tempus seponere ,  
quo

quo quietius, & sinè ulla interruptione cum illo agat: studens ibi altiùs menti insculpere illa Christianæ fidei effata, quibus tota perfectè vivendi ratio innititur: & firmam voluntatem concipiens, vitam suam omnem ex eorum præscripto, ac norma ducendi. Ità difertè præcipit Author Epistolæ ad Demetriadem, inter alias D. Augustini 142. eam Christi sponsam, in eaque piam omnem animam sic alloquens: *Quanquam omne vitæ tuæ tempus divino debeas operi consecrare, & nullam prorsus horam à spirituali profectu vacuum esse conveniat, cum tibi in legè Domini die, ac nocte meditandum sit; debet tamen aliquis esse determinatus, & constitutus horarum numerus, quo plenius DEO vaces, & qui te ad summam animi intentionem velut quadam lege contineat.* Neque ipse tantum, sed omnes ferè idem docent vitæ interioris magistri, maximopere commendantes sacri hoc exercitii genus, tanquam unum ex potissimis & apprimè necessariis consequendæ sanctimonix instrumentis. Imò ante ipsos omnes idem nos Christus ipse exemplo suo docuit, ad prolixam identidem, & secretam orationem ab hominum turbis secedens: prout videre est in Evangelio tum D. Marci hæc de illo tradentis: (c. 1.) *Diluculo valde surgens,*

*gens, abiit in secretum locum, ibique orabat; tum D. Lucæ exprimentis insuper, quamdiu orationem prorogaret, his verbis: (c. 6.) Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione DEI.* Quare nullum facile in fastis Ecclesiæ reperiemus eximiæ probitatis virum, qui hanc præcipuam spiritualis vitæ functionem non plurimi fecerit, & peculiari studio amplexus sit, nullum diem prætermittens, quin solus quàm diutissimè versaretur cum DEO. Et innumeros quidem ex iis possem ad prædicti studii exemplum recensere. Possem celeberrimum Anachoretarum parentem Antonium, qui vesperi orationem instituens in ea pernox durabat, quoad sol sequenti manè exoriens intentos cælo illius oculos novis radiis feriret. Possem duos illos apud S. Nilum Monachos: (*De Orat. c. 103. & 105.*) quorum alter à vipera venenoso morsu ictus, dum orationi vacaret; non tamen ab hac destitit, priusquam omne præfinitum illi tempus fluxisset; alter verò à tartareis ludionibus hac illac per aërem instar pilæ jactatus, in cœpta nihilominus oratione quieto, immotóque animo defixus permansit. Possem Bernardum illum Cantabrum, domesticæ rei in nostra Societate adiutorem, qui, solitus pluries perpetem noctem  
oran-

orando transigere, minimè à sacro suo otio dimovebatur, quainvis dæmon interea sub deformis colubri imagine per orantis tunica usque ad collum surrepens, atque inde subter vestimenta se insinuans, nudum illi corpus lubrico lapsu percurreret. (*Hist. Soc. p. 2. L. 1. n. 139.*) Pro his tamen, & aliis similibus omnibus satis mihi erit, duos tantum commemorare, quorum immobilem in solenni quotidiana oratione constantiam nemini pro suo modo imitari non liceat. Bernardinum Senensem videlicet, qui, prout in monumentis vitæ illius legimus, (*Apud Sur. c. 32.*) *Quotidie unâ horâ suæ devotioni vacabat, atque interim nulli patebat accessus, neque Principi, neque Regi, sed cogebat expectare omnes: & Franciscum Suarium, qui toto orbe celeberrimus Doctor, quotidianam orationem majore habebat in pretio, quàm quidquid doctrinæ totius vitæ studio intrâ mentem congesserat, inque tot editis voluminibus posteritati tradiderat, malle hac tota spoliari dictitans, quàm vel unicum illius horam omittere. Sed nullus scribendi esset finis, si agere accuratiùs vellem de æstimatione, in qua semper fuit, debétque apud omnes servos DEI esse hoc cælesti exercitium. Præterquam quòd post plu-*

ra

ra completa illius laudibus folia nihil demum protulisset, quod mille in libris inculcatum, & repetitum haud extet. Satiùs itaque futurum reor, de modo illam fructuosè obeundi aliquid dicere. Non quia de hoc quoque multi non scripserint, sed hac ipsa de causa, quia, cum scripserint multi, tanta institutionum occurrit, & regularum varietas, ut consuetudo cum DEO, res cæteroqui simplicissima, & nulli non obvia, artificium evaserit, haud sinè acri studio, & felici memoria addiscendum. Quapropter fore operæ pretium videtur, si ex tot præceptorum servitute in nativam libertatem restituatur, tota illius praxi paucis quibusdam capitibus comprehensa. Idque facere hìc conabor, brevi responsione satisfaciens octo quæstionibus, quæ circa ipsam possent institui.

2. Et primò rogabit aliquis, quænam justa sit temporis sancto huic exercitio assignandi materia? Cui nullam monstrare justioremeâ possum, quam D. Thomas determinavit, docens: (2. 2. qu. 83. a. 14.) *Convenire, ut oratio tantùm duret, quantum est utile ad excitandum interioris desiderii fervorem. Cùm verò hanc mensuram excedit, ita quòd sinè tædio durare non possit; non est ulterius protendenda: suàmque hanc do-*

doctrinam confirmans iis D. Augustini ad  
Probam verbis: ( Ep. 121. c. 10. ) *Dicuntur  
Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes,  
sed tamen brevissimas, & raptim quodammodo e-  
jaculatas, nè illa vigilanter erecta, quæ oranti plu-  
rimùm necessaria est, per productiores moras eva-  
nescat, atque hebetetur intentio. Ac per hoc ipse  
etiam satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non  
est obtundenda, si perdurare non potest; ita, si per-  
duraverit, non citò esse rumpendam.* Secundùm  
quam determinationem conveniet, ut suæ  
quisque ad orandum habitudinis rationem  
habeat: &, quemadmodum hæc in quibus-  
dam major, in aliis est minor; sic alii diutiùs,  
alii brevius orationi vacent. Sed quia haud  
rarò contingit, ut multi vel ignavia minùs se-  
ridoneos, quàm revera sint, ad orationem diu-  
tiùs continuandam existiment, eamque ab-  
rumpant, quando etiam fructuosè persequi  
possent; vel ex nimio animi ardore illius tem-  
pus producant, ultrà quàm corporis valetudo,  
aliæque sui statùs functiones patiantur; neces-  
sarium videtur, prædictæ universali regulæ  
duas alias particulares, & magis certas adjun-  
gere. Prima ad languidiore spectat, & de  
quibus timeri potest, nè à convenienti men-  
sura deficiant: jubens eos, certum sibi ali-

H h

quod

quod statæ orationis tempus præfinire : quantum à quovis spirituali viro commodè in ea produci , horam putà , vel horæ semissem : ità ut liceat illis quidem uberiore interdum divini Spiritûs gratiâ affluente illius spatium orando excedere , sed nunquam ullius ariditatis , vel tædii causâ citra ipsum consistere : cum , si præfidiis paulò pòst suggerendis utantur , nequiquam difficile futurum iis sit , tam exigui temporis spatio fructuosè cum DEO conversari. Posterior regula , eorum propria , quos immodicus fervor posset justo ulteriùs abripere , est , nè orationem , quantumvis è sententia succedentem , usque ad extremam lassitudinem protrahant : sed quando post unam , alteràmve horam debilitari sibi caput senserint , modum ei statuant. Multò siquidem præstat , maturiùs aliquantulò ab oratione hominem digredi , sed commodè valentem , eique toto deinceps die per fervidas ad DEU Maspirationes continuandæ idoneum , quàm si ab eadem seriùs confurgat , sed mente adeò exhausta , ut evagari potius per objecta sensibilia ad vires reficiendas cogatur , quàm permanere in DEO fixa usque ad vespèrum valeat. Ubi etiam observanda est personarum , & professionum diversitas. Eos enim ,



enim, qui nulla rerum gerendarum necessitate urgentur, inque secretum vitæ contemplativæ otium sese abdiderunt, nemo prohibet, quo minùs, quantam possunt, diei partem in quieta oratione traducant. At non ità etiam qui actuosæ vitæ genus sectantur, proximisque adjuvandis ex suo instituto, atque munere operam navant. Hos enim post aliquam arcanæ divinarum rerum commentationi horam impensam conveniet, quotidiana sua ministeria propter DEUM, & coram DEO obire, ipsum assiduè inter ea respicientes, ipsi ea quovis penè temporis puncto offerentes, seque amoris illius stimulis ad ea quàm perfectissimè exercenda incitantes. Quales esse, & quale conjunctionis cum DEO genus sectari nostræ Societatis homines sanctus illius Conditor, & Pater Ignatius optabat. (*Hist. Soc. 1. p. L. 16. n. 114.*)

3. Secundò quæri potest, quænam diei pars quietæ huic, secretæque orationi præ cæteris congruat? Respondeo, matutinum tempus à Sapiente inprimis commendari, dum ait, (*Sap. c. 16.*) *Quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem, & ad ortum lucis adorare.* Nec aliter sentit Ecclesiasticus, juxta quem DEI servus (*c. 39.*) *Cor suum tradet diluculo*

ad Dominum, qui creavit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Et D. Gregorius hoc significari ait illo Levitici præcepto, (c. 6.) *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutrit Sacerdos, subjiciens ligna manè per singulos dies.* Ità ut quovis manè novum à Sacerdote conservando igni sacro pabulum suffici, perinde sit, atque hominem sanctas meditationes quotidie per idem tempus iterare: *Ut, quod in se jam, jamque quasi deficit, quibus valet nisibus, studium charitatis inflammet.* (L. 25. Mor. c. 7.) Imò ipse impius Apollonius in eandem sententiam docebat: (Philostr. in V. Apol. L. 1. c. 12.) *Adveniente aurora cum Diis esse versandum.* Neque verò paucæ, obscuræque rationes sunt, quæ peculiarem prædicti temporis cum oratione convenientiam demonstrant. Sed omnium loco hæ duæ possunt esse: prima scilicet, quia, cum homo tunc à somni quiete sit recens, neque dum externis ullis actibus manus admovent, mentem habet, ut profanis imaginibus vacuam; sic ad divinas excipiendas magis idoneam: altera verò, quia per orationem illius temporis totius diei opera ad DEUM diriguntur, animusque sanctis cogitationibus, atque affectibus, ceu quibusdam antidotis præmunitur adversus cogitationes, &

& affectiones noxias, quæ per reliquum diem excitari in eo ab objectis sensibilibus possent. Quamobrem Laurentius Justinianus vult, ut servi DEI omnes (*De Discipl. c. 10.*) *Primordia diei, & actionum conentur consecrare Altissimo, quatenus cætera secutura opera à suo non declinent principio*: & Joannes Climacus idem esse censeat, matutinum tempus, & totius diei tempus DEO consecrare, inquit: (*Grad. 26.*) *Da Domino primitias diei tuæ: erit enim tota ejus, qui prior occupaverit*: subjiciensque, quod de se ipso experientissimus quidam rerum spiritualium vir affirmabat, nempe, *ab ipso matutino tempore cursum totum meum diei scio.*

4. Quæritur tertio, quinam locus, & corporis situs orationi convenientissimus sit? Respondetur, quòd ad locum pertinet, secretum communiter magis ad eam facere, quàm patentem, & publicum. Et huic comprobandæ responsioni satis, superque esset Christi authoritas, qui id docuit non tacitè solum suo exemplo, quando, ut refert D. Lucas, (*c. 5.*) *secedebat in desertum locum, & orabat*; verum etiam disertè, expressèque suo illo apud D. Matthæum consilio, (*c. 6.*) *Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito*: sed & ratio idem

persuadet. Cùm mens nostra, quantò minùs ab aspectu, strepitùque hominum in diversa trahitur: tantò faciliùs in DEO totam se colligat, arcanásque illas voces meliùs percipiat, quibus ipse eam se in quieto secessu allocutorum promittit, dicens apud Oseam: (c. 2.) *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.* Præterquam quòd orantibus in *abscondito* liberum est, in exclamationes, & suspiria erumpere, pectus pulsare, humi se sternere, brachia in crucis formam expandere, & alios hujusmodi actus edere, qui conceptum animo pietatis ardorem fovent, neque in propatulo, corámque arbitris edi, citra offensionem adstantium, & cenodoxiæ periculum possent. Num verò illuminatum esse locum, an obscurum oporteat, discrimen est, orantium arbitrio relinquendum, ut unusquisque talem hoc in genere sibi eligat, qualem orationis suæ fini obtinendo accommodatiorem experitur. Beatus certè Joannes à Cruce, primus S. Teresiæ in fundando Carmelitarum Discalceatorum Ordine Socius, usque adeò à lucis, & rerum irrationalium visu nihil inter orandum turbabatur, ut se indè adjuvari potiùs ad DEI contemplationem, atque amorem sentiret. Quapropter, recitatis in Odeo horis Canonicis,

cis, & divina re peracta, in vicinam cœnobia solitudinem prodire consueverat, ibique usque ad prandium, & à vespertina rursus psalmodia ad Completorii tempus morari, circumfusa undique supremi omnium Effectoris opera admirans, exaggeratissimosque simul sensus de immensa illius magnitudine, & ferventissimos erga incomparabilem illius pulchritudinem affectus concipiens. (*In vit. L. I. c. 34.*)

5. Circa verò conformationem corporis dubitari nequit, eam colligendæ menti aptiorem naturâ suâ esse, quæ plus reverentiæ, & submissionis præferat: putà genibus humi fixis, oculisque, & manibus piè, ac decenter compositis. Si cui tamen diu genibus niti imbecillitatis suæ causâ, & molestiæ, qua indè corpus afficitur, impedimento ad intentionem animi esset, nemo illum prohibet, quin commodiore alio corporis situ oret, stans videlicet, aut humi pronus, aut sedens. Cùm enim juxta Doctoris Angelici observationem, (*2. 2. qu. 81. a. 4.*) externa divini cultûs signa non aliam ob causam instituta sint, nisi ut ad interiorem pietatis sensum nos provocent; manifestò hinc apparet, præposterè, & contra suum finem acturum, qui ea religiosi

cultûs signa usurparet, quæ ad fructuosè, attentèque orandum obstaculo potius sibi esse, quàm adjumento, experiretur. Quare S. Ignatius spiritualia exercitia obiturum hoc inter alia monito instituit, ut meditationem peragat, *nunc prostratus humi, & pronus; aut supinus jacens, nunc sedens, aut stans, & eo se componens modo, quo speret faciliùs id consequi, quod optat.* Longèque illo priùs D. itèm Augustinus docuerat, (L. 2. ad Simpl. qu. 4.) *Non esse præscriptum, quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus DEO præsens peragat intentionem suam.* Quod confirmatur adhuc plenius, tum communi usu publicè orandi in Ecclesia, corpore jam erecto, jam genibus nixo, jam ad sedendum composito; tum exemplis virorum sanctimoniâ illustrium, quos legimus, non semper de genu, sed interdum etiam deambulantes, aut sedentes orasse: veluti Moysen, qui orationem illam, Amalecitarum victricem peregisse, super lapidem sedens, in sacris Literis (Exod. c. 17.) traditur: & veluti primaria duo Societatis nostræ lumina, Ignatium nempe illius Conditorem, & Franciscum Xaverium Indiarum Apostolum: quorum ille, ceu Petrus Maffejus in vita ejus refert, (L. 3. c. 1.) superiorem ædium partem

tem ascendens, unde liber ad sidera patebat prospectus; *stabat aliquantisper oculis in cælum defixis: tum provolutus in genua, totius hujusce pulchritudinis Conditorem suppliciter adorabat: deinde propter imbecillitatem humili scabello cùm con-* sedisset; *continuo ex oculis uberes lacrymarum rivuli profuebant.* De altero autem Tursellinus testatur, ( *L. 4. c. 7. Vit.* ) observatum Goæ pluries fuisse, intempesta nocte, cùm aliquamdiu in horto domestico defixis in cælum oculis, & vultu hominis à sensibus abalienati inambulâset, præ nimio divinæ charitatis ardore, manibus raptim pectori admotis, tunicam ab eo deducentem, & *Non plus, non plus Domine, sat est,* clamitantem. Sapienter Lycurgus, sciscitanti, cur sacrificia tam vulgaris pretii Lacedæmone instituisset, respondit, ( *Plut. in vit.* ) *Nè Deos unquam venerari cessemus:* plus conducere ad Religionis incrementum existimans, si ejus officia ob minorem sumptum in celebri, assiduoque apud omnes usu essent; quàm si magnificentiæ suæ causâ nequirent, nisi raro, & à paucis obiri. Sed quamvis verissima, quæ diximus, sint, reprehendique potius, quàm laudari mereatur, qui violenta, & fervili observatione certi unius, nec unquam diversi circa exteriorum habitum moris atten-

tionem, vigorémque animi in orando debilitat; quia tamen innatus homini erga corpus suum amor nimium quàm callidus est ad ejus incommoda, quibus potest, fictæ imbecillitatis, & majoris boni prætextibus declinanda; optimum factu censerem, orationem ab unoquoque genibus humi fixis, manibusque ante pectus reverenter junctis inchoari, & eodem ritu, quamdiu vires ferunt, produci: ubi verò aliquis præ corporis lassitudine præpediri indè potius, quàm juvari orationem suam senserit; tum aliam, quæ proposito fini aptior videatur, ab eo sumi exterioris habitus speciem.

6. Quartò interrogare aliquis poterit, numquid statam hanc, & secretam ineuntis diei orationem mentalem, ut vulgò dicitur, an vocalem esse oporteat? Priusquam interroganti respondeam, pauca quædam majoris distinctionis, & perspicuitatis causâ advertenda esse existimo: & primò quidem, cum oratio, juxta receptissimam Joannis Damasceni definitionem, sit *Ascensio mentis in DEUM*, nullam dici veram, propriamque orationem posse, quæ mentalis, id est aliqua circa DEUM mentis actio non sit: ac proinde, dum oratio in mentalem, & vocalem dividitur, non ita di-



divisionem esse accipiendam, quasi ejus partes omnimodè inter se distinguantur: sed ità, ut prior orationem significet, ubi mens per se unam tacita, & quò magis arcana, eò penitiori, altiùsque defixa attentione circa DEUM occupetur: posterior verò orationem, ubi mens simul, & vox circa DEUM exercentur, quòdque una de illo intùs concipit, altera exteriùs depromat. Secundò advertendum videtur, orationem, quæ voce exprimitur, duplicis esse generis posse: nimirum vel ab alio certis quibusdam verbis compositam; (cujusmodi sunt Psalmi Davidici, plurimæque aliæ precationum formulæ addisci memoriter solitæ) vel à proprio cuique affectu inspiratam, cujusmodi sunt arcana cum DEO animæ eum amantis colloquia. Tertiò adverti par est, duplicem etiam modum esse, quo compositæ ab aliis orandi formulæ recitari possunt: nempe vel pronuntiationis cursu usque ad earum finem continenter producto, prout Sacerdotalis psalmodia in templis peragitur; vel per intervalla, & recitatione post singulas propositiones abrupta, suspensaque quoad illarum sensus, & vis tacitè perpendatur.

7. His observatis, ad propositam quæstionem respondeo: cum orationis, de qua hic  
agi-

agitur, finis sit, animam penitus colligere, ac defigere in DEO, sanctisque cogitationibus, & affectibus ad totius diei cursum piè transfigendum instruere; quemadmodum huic fini assequendo magis conducit perattenta supernaturalium veritatum meditatio, piis affectibus, & colloquiis mista; quàm continenter producta orationum ab aliis compositarum recitatio; ità dubitari non posse, quin prædictæ orationis tempus in ea potius, quàm hac, transfigendum cuilibet sit, qui illud velit fructuosius transfigere. Quamvis cæteroqui, ut infra dicemus, possit etiam nec pœnitendo cum fructu illud tempus infumi, in vocali aliqua oratione memoriter recitanda, si recitatio non sit continua, sed piis identidem considerationibus, & affectibus interrupta. Per quam occasionem omittendum non puto, quin personas spirituales commoneam, nè pro quotidiano Religionis penso ingentem sibi præscribant orationũ memoriter comprehensarum numerum, quæ recitentur (prout ferè usuvenit, quando nimis multæ sunt) properantiùs, quàm cum vero, intimoque animi sensu: sed vel plurimos earum locò divini amoris actus ex imo pectore effundant; vel tempore, quod permultis talium orationum

num

num raptim, & consuetudinis tantum gratiam percurrendis impenderent, dimidiam, tertiamve, aut minorem eorum partem recitent, sed tractim, attentèque, & degustantis ritu, ceu sensus non tam sibi ab aliis dictatos, quam suo in corde conceptos, & inde ori affluentes. Quod est illud, loqui parum, & multum orare, piæ fæminæ Probæ à D. Augustino præscriptum his verbis: (Ep. 121. c. 10.) *Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur; imò omnibus doctrinæ suæ alumnis præscriptum à Christo, ubi dixit: (Matt. 6.) Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici: & peculiari studio observatum à priscis Ægypti Monachis, qui, Cassiano teste, (L. 2. c. 11.) non multiitudine versuum, sed mentis intelligentiâ delectabantur, illud tota virtute sectantes, psallam spiritu, psallam & mente. Ideoque utilius habebant, decem versus cum rationabili assignatione cantari, quam totum psalmum cum confusione mentis effundi. Ad corporis quoque nutrimentum plus facit cibum probè concoquere, quam largiter sumere: & in ipsiusmet eloquentiæ artis cæteroqui verbosæ studio præcipitur, multum legendum esse, non multa. (Plin. L. 7. Ep. 9.)*

8. Quæ-

8. Quæritur quintò , utrùm necesse homini sit , peculiari aliqua præparatione ad prolixiorē hanc cum DEO consuetudinē uti, & cuiusmodi illa esse debeat? Sed de illius necessitate Spiritus sanctus dubitare neminem finit, monens in Ecclesiastico: (c. 18.) *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat DEUM.* Præterquam, quod ipsamet humana ratio sat probat, quàm turpis incuriæ res foret ad DEI affatum, sinè præcedenti ulla seu infinitæ illius majestatis, seu rerum cum eo tractandarum cogitatione accedere. Cùm nemo cæteroqui adeò inconsideratus sit, quin vel cum terreno aliquo Principe de negotiis suis acturus diu ante congressum, & acri cum sollicitudine suam apud animum verset, quam ibi ratione, & quibus uti verbis se oporteat. Quod ergo ad congruentem sese præparandi modum attinet, præter crebras illas toto die præsentis Dei recordationes, de quibus jam egimus, quæque ad magis professam, & certi temporis orationem mirè animum comparant; quatuor adhuc paulò antè hujus initium curanda esse censeo. Primum, ut animadvertamus, quoniam ille sit, quocum congressuri jamjam sumus, DEUS nempe universitatis totius Domi-

minus, nostræque amantissimus Parens: excitando indè in animis nostris consentaneos affectus tum reverentiæ erga supremam illius Majestatem, tum lætitiæ de singulari nostra sorte, quibus cum eo familiariter conversari licet: & pro certissima re statuendo, nullum in omni nostra vita nos habere tempus posse, hoc optabilius. *Considera*, inquit Chryso-  
stomus, *quanta est tibi concessa felicitas, fabulari cum DEO, cum Christo miscere colloquia, optare, quod velis, quod desideras, postulare.* (L. 2. de orando.)  
Secundum, ut meminerimus finis, ad quem matutina oratio dirigatur: nempe ad animam DEO penitus imbuendam, quò tota illius sit, & summa cum perfectione illi serviat: ardens simul desiderium concipientes, assequendi hujus finis, novique, & mansuri ad sanctitatem motus diei recens nato imprimendi. Tertium, ut proponamus nobis veritates eâ horâ coram DEO ruminandas, non sinè acri sollicitudine, & studio earum vim penitus introspectiendi: cum vel una ex iis probè intellecta possit nos, ceu factum in tot aliis videmus, ad sublimem sanctimonix gradum evehere. Quartum, ut à multiplici objectorum sensibilium varietate totam animam in DEUM colligamus, tanquam si horæ illius spatio ne-

mo

mo præter eum, nõsque in mundo alius existeret. Vale ideo terrenis quibusque occupationibus nostris dicentes, orantẽsque illas, ut contentæ assignando deinde ipsis tempore finant nos interim tranquillè, & per otium cum DEO conversari. Quam in rem hæc Abbatis Gulielmi formula usui esse poterit: *Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite, ascendamus in montem, ubi DEUS videtur. Cura, sollicitudines, anxietates, labores, servitutes, expectate hic cum asino, corpore isto. Ego cum puero, ratio cum intelligentia, illuc properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. Revertemur enim, & heu quàm citò! (Lib. de Amore.)*

9. Percontaberis sextò, quænam sit materia, circa quam in matutina oratione occupari mens possit? Athic respondentem mei locò habes D. Paulum suis illis ad Philipenses verbis: (c. 4.) *De cætero fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplina, hæc cogitate. Ubi vides, nihil sancti, & frugiferi esse, quod DEI famulis meditandum in oratione non assignetur. Quod si cuperes, tam universalem materiam in præcipuas*  
su-

suas partes distinctam habere; poteris tibi ad  
 meditandum sumere primò incomparabiles  
 DEI perfectiones, suo loco jam à nobis de-  
 scriptas: contemplando illum, quasi ens nul-  
 lius indigum, necessarium, æternum, infini-  
 tum, immensum, omnipotens, sapientissi-  
 mum, pulcherrimum, optimum. Secun-  
 dò Christi Domini vitam à Ludovico de Pon-  
 te, aliisque pluribus in meditationes digestam.  
 Tertiò ponderosa quædam, & succi plena fa-  
 crarum Literarum effata: exempli gratiâ: *Re-  
 gnum cælorum vim patitur. Qui amat animam  
 suam, perdet eam. Quæ seminaverit homo, hæc et  
 metet. Non sunt condignæ passionis hujus temporis  
 ad futuram gloriam: aliæque id genus quàm plu-  
 rima.* Quartò nonnullas veritates, morum  
 magistras, utilissimisque ad vitam sanctè exi-  
 gendam, conclusionibus gravidas: cujusmo-  
 di sunt præter alias noster ultimus finis, imma-  
 nis peccati malitia, divinæ gratiæ inæstimabi-  
 lis valor, arctissima, quibus DEO obstringi-  
 mur, nomina, mortis necessitas, divinum de  
 animabus vitâ functis iudicium, cælestis beati-  
 tudo, inferorum supplicia. Quintò virtutes  
 tum Theologicas, tum morales, quæ sive ad  
 DEI cultum, sive ad proximorum utilitatem,  
 sive ad proprii corporis, animique coërci-

tionem pertinent. Sextò vitia cuilibet prædictarum virtutum contraria. Septimò actiones ordinarias, quibus quotidie à diluculo usque ad vesperam fungeris, partim sacras, partim profanas, & suapte naturâ indifferentes: observando, quid delinqui in singulis possit, quique contrâ sit modus eas integrè, ac perfectè obeundi. Octavò pios quosque amoris, odii, desiderii, lætitiæ, & doloris affectus: perpendendo primùm rationes, quæ incitamento ad eos sint, moxque eosdem concipiendo, secundùm peculiare, quibus exprimi possunt, species, ac modos. Nonò solennem quampiam precandi formulam, putà orationem Dominicam, quam tecum ita particulatim examines, ut ex singulis ejus verbis, aut propositionibus pium aliquem sensum, atque affectum elicias. Decimò vitas, atque exempla Sanctorum, qui singulis diebus anniversaria solennitate celebrantur: heroicas illorum virtutes admirans, & ad similia patranda te extimulans.

10. Hæc igitur præcipua decem sunt genera, circa quæ quotidiana meditatio consuevit versari: & unde primum cuique est, copiosum sibi indicem materiarum ad complurium annorum meditationes excerpere. Nam  
in



in Martyrologii lectione, quid uno saltè anno meditari possit, inveniet. Ad æquale temporis spatium materiam ei suggeret vita, & mors Christi Domini, ceu Ambrosii Spinulæ, Nicolai Avancini, & aliorum libris suggestit. Idem dic de sacrorum Librorum sententiis: quarum nonnullis annum meditationum cursum Paulus Segnerus implevit: & quantò adhuc plures supersunt? Neque obscurum ulli est, quàm affluens menti pabulum cætera itè suffectura sint, quæ indicavimus capita. Præsertim, quòd nonnullas ex materiis, quæ ibi continentur, pro eximia illarum vi, & salubritate haud satis est, semel tantum perpendere, sed iterum ruminandæ, iterumque sùnt, quoad penitùs in animo defigantur, & hic plenam ex earum consideratione utilitatem retulerit. Imò, qui à multis retrò annis in divinarum rerum commentatione se exercet, præcipuásque ex commemorationis hinc materiis pluries, ac pluries coram DEO pensitavit, ut proinde nihil ferè in iis novi, & ad mentem diu in se continendam idonei jam reperiat; poterit & fortasse utiliùs unam, duásque, aut tres veritates, magni imprimis momenti, & à quibus se validiùs commoveri experitur: (ultimum finem verbi gratiâ,

tiâ, ad quem conditi sumus, seu infinitam DEI amabilitatem, seu nullum terrenarum quarumlibet rerum præ sempiternis, ac cælestibus pretium) pro ordinaria, & semper ferè eadem sibi sumere orationis materia: adeò ut singulis eas diebus secum retractet, quantum sit opus ad eos rursus concipiendos animi ardores, quos in se aliàs excitari ab iis sensit. Tum, posteaquam his vividius instaurandis suum tempus impenderit; in postrema orationis parte ad novum diem *in sanctitate, & iustitia coram DEO* transigendum diligenter se comparet: quatuor, quæ huc faciunt, firmiter suo in animo statuens. Primum nullas eo die culpas admittere, iis nominatim exclusis, in quas labi consuevit frequentius. Secundum, præcipuas diei actiones, à peracta oratione usque ad noctem sibi obeundas, eo singulas modo exequi, quem perfectissimum esse agnoscit, & DEO maximè gratum. Tertium, nullos necessariorum virtutum, sed præsertim charitatis fraternæ, mortificationis, & patientiæ actus, quorum occasio sese obtulerit, prætermittere, huiusmodi occasionibus accurata observatione prævisis. Quartum, assiduam toto die præsentis DEI memoriam retinere prævisis particularibus modis, quibus  
ad

ad id facilius, certiusque præstandum juvetur. Et talem præparationem maximi ego momenti esse arbitror, quæque possit sola ad fructuosam incipientis diei orationem sufficere. Ac proinde omnibus, seu tyrones, seu veterani in spirituali militia sint, suasærim, ultimum illi saltèm matutinæ meditationis quadrantem seponere. Siquidem, ut à D. Terefia verissimè traditur: *Interior animarum progressus nequaquam in eo positus est, ut multum de DEO cogitent, sed in eo, ut enixè DEUM ament. Et hic amor acquiritur per voluntatem agendi, quæ ipsi placeant.* Quare oratio, quantumcunque alta sit, dirigi semper debet ad patranda opera, quibus noster erga DEUM amor probetur. Quæ cum dixisset, concludit: *Ego sanè non aliam mihi orationem malim, quàm quæ ad ultiores in virtute processus me adjuvet.* (P. 2. Oper. pag. 237. n. 13.)

II. Septima, & quidem potissima quæstio est de propria meditandi ratione, atque methodo, circa quam multi multa: sed hæc mihi expeditissima videtur, eamque tibi Lector, si libuerit, servandam propono: nimirum ut in ipso meditationis ingressu coram DEO te constituas, ipsúmet ut præsentem, qua par est, submissione alloquaris: adorans tantæ

majestatis Dominum, gratias immensæ illius erga te liberalitati agens, dolens, quòd summam ejus bonitatem toties offenderis, totum te ipsi, tanquam tuo Authori, & ultimo fini offerens, paternamque illius opem pro sanctè exigendo tum reliqui totius diei, tum præsentis orationis tempore humiliter flagitans. Qui actus & sub cujusque diei exortum iterari coram Domino quasi legitimum nostræ servitutis vectigal debent; & si ex animo fiant, non parùm conducent ad totam meditationem attentè, cùmque vivido pietatis sensu obeundam. His porrò colloquiis cum DEO ad horæ circiter quadrantem productis, in duobus, qui subsequuntur, quadrantibus (nam postremum præparatio paulò antè explicata sibi deposcit) aggredieris mente ruminari provisam in hunc usum materiam, circa quodlibet illius caput quinque hæc præstando. Primum, ut cures, luculenter, exactèque pernoscere veritatem ibi propositam: tum si ab actione sejuncta, meræque contemplationis objectum ea fuerit; aliam indè veritatem practicam eruas: studens hanc itidem, quàm intimè valeas, percipere, excogitansque argumenta, & exempla, quæ vividam illius speciem menti tuæ imprimant. Secundum, ut practicam hujus-

mo-

modi veritatem universè sat cognitam ad te ipsum referas: dispiciendo, an ex præscripto ejus vixeris, & ut vivere hominem decet, qui verè illam credat? an diverso penitèntis ritu? Tertium, ut animadverso, quàm ab ea discrepans vitæ tuæ tenor fuerit, consentaneos huic pravitati in te excites pudoris, admirationis, pœnitentiæque affectus. Quartum, ut quàm firmissimum animi decretum concipias, rectiùs deinceps vivendi, ità nempe, ut omnes tui sensus, affectus, & mores perspectæ veritatis normæ respondeant. Quintum, ut Dei auxilium implores, ad ea, quæ decrevisti, strenuè, constantèrque exequenda. Visne aliquod tibi afferri doctrinæ hæcenus traditæ exemplum? Fac, objectum, & materia meditationis tuæ sit mortalium bonorum inanitas. Primus ibi labor tuus erit, propositam rem, rationesque, quibus comprobatur, attentè rimando perpendere, quoad de illius veritate certissimus sis: eruendo illinc, & curando tibi similiter persuasissimam reddere hanc conclusionem practicam, nimirum par esse, ut, quando tam perspicuè hujusmodi bonorum inanitas patet; prudens quilibet rerum æstimator ea minimi pendat, præque aliis veris, atque solidis bonis despiciat. Jam

verò his peractis progrediendum ad secundam partem tibi est, ad disquisitionem videlicet, num præsentis vitæ bona pro conditionis suæ merito contempta à te sint, an veriùs tanto in pretio habita, ut multoties divinæ illa amicitia, æternæque tuæ saluti antetuleris. Quod alterum posteaquam re ipsa à te factum deprehendes; locus tertio jam erit, ut in affectus erumpas, quos indè consequi decet, admirando, & erubescendo, quòd desipere adeò potueris. Nec mora, ipsimet hi actus ad quartum institutæ exercitationis actum te impellent, nempe ad firmam, certamque voluntatem corrigendæ imposterum tuæ prioris ve-cordia per abjectam eorum æstimationem bonorum, quæ pluris olim justo fecisse te pudet. Succedétque postremò, tanquam totius exercitii coronis, divini auxilii imploratio, ut, qui ad prædictam voluntatem concipiendam te impulit, ad eandem perficiendam te robo-ret.

12. Hæc verò praxis, quò & faciliùs percipi, & fructuosius erereri queat; operæ pretium fuerit, nonnulla circa priores quatuor illius partes advertere. Adverto igitur circa primam, licèt materies ad meditandum proposita haud semper, nec in quolibet ex  
com-

commemoratis illius decem generibus sit veritas practica, semper hanc tamen posse inde colligi. Licet id videre in perfectionum divinarum materia: ubi perpenſa, agnitæque incomparabili earum dignitate statim occurrit singularis cultus, & amor, eam propter causam DEO debitus. Licet, ubi meditationis objectum sunt Christi Domini, Sanctorumque acta: cum ab egregiis eorum facinoribus pronum sit cuivis rationem eruere, qua nos itidem ad similia patranda urgeamur. Licet in meditationibus super hac, vel illa orandi formula, veluti super Symbolo Apostolorum, seu oratione Dominica: ubi nihil magis est obvium, quam ex prima illius voce firmitatem eruere, qua omnibus divinæ Fidei mysteriis assentiri nos oporteat, æque prima huius similiter reverentiæ, amorisque affectus, quibus nostrum prosequi debeamus cælestem, atque æternum Patrem. Licet demum in omnibus aliis supradictis generibus, tam unoquoque practicarum veritatum secundo: cum cuilibet pateat, æquum esse, ut sacrarum Literarum sententiis pro norma vivendi utatur: ut virtutes animo suo inserat, & vitia inde excindat: ut piis affectibus commoveatur, utque quotidianas actiones suas quàm abso-

lutissimè obeat. Adverto insuper circa eandem primam partem ex eadem theorica veritate plures sæpenumero, & plures conclusiones practicas elici posse. Sic, (nè ab exemplo suprà allato discedam) ex hac propositione, bona vitæ præsentis nîl magni, & solidi continent; præter conclusionem illam universalem, ergo flocci sunt facienda, hæ quoque aliæ magis particulares derivari possunt, ergo stultè agit, qui de illorum affluentia gloriatur: stultè, qui iniquo animo fert, ea sibi non nisi ad necessarios vitæ usus suppetere: stultè, qui pro eorum acquisitione nullis curis, & laboribus parcat: stultè, qui, nè illorum jacturam faciat, cælestibus, æternisque bonis ultrò se abdicat. Imò consultius semper fuerit, veritates universales, quæ ad actionem collimant, ità minutatim in suas partes dividere. Cùm paratiores, magisque idonei homines sint ad praxim quamcunque sibi specialiter, & distinctè, quàm solum genericè propositam.

13. Circa secundam porrò, tertiamque partem advertendum puto, prioris vitæ nostræ examen non adeò necessarium in omni meditatione esse, ut prætermitti compluries nequeat. Quo in casu voluntas locò pœnitent-



tentiæ, qua indè afficeretur, desiderium, & spem, sive odium, timorémque, aut alios pro diversa cognitæ veritatis ratione affectus concipiet. Imò nonnunquam post considerationem rei ad meditandum susceptæ, quidquid superest temporis in mera affectuum ipsi congruentium expressione transigi poterit, idque præsertim, ubi non alia est meditationis materies, nisi pius quispiam affectus. Tunc enim, ubi meditans satis perspexerit, quàm honestus, utilisque ille sit; poterit exprimendum, atque iterandum sibi eundem suscipere secundum peculiare actus, & modos, qui in specie illius continentur. Utque exemplo planior res fiat; ponamus, susceptam ab aliquo esse pro suæ meditationis materia æquitatem odii adversus peccatum. Debet is primò accuratè perpendere, quàm extrema sit peccati malitia, quàmque ideo rationi conveniens, ut illud cæteris quibusque malis vehementius oderimus. Tum vi hujusce veritatis sat cognitæ, atque perpenſæ, quàm vehementissimum illius odium concipiat: conceptumque exprimere aggrediatur, primò generatim, dicens: ego ità odi, & abominor quodvis peccatum, ut, nè illud committam, paratissimus sim, quovis bono carere, & quidvis

vis

vis mali subire. Mox propositis sibi speci-  
 tim ob oculos universis hinc bonis, quæ cha-  
 riora habet, indè malis, quæ maximè horret;  
 pergat tot distinctis actibus, quot prædicta  
 sunt bona, eorum cuilibet, nè peccato inqui-  
 netur, nuntium remittere; totidèmq; rur-  
 sus aliis actibus, quot ex adverso cernit mala,  
 eorum cuilibet perferendo, si aliter vitari ne-  
 queat peccatum, se offerre. Neque his con-  
 tentus, singulas peccatorum species mente  
 perlustrans, instituat unamquamque earum  
 plus averfari, quàm privationem hujus, illius,  
 & alterius nominatim cujuslibet boni, quàm-  
 que tolerantiam hujus, illius, & alterius sin-  
 gillatim cujuslibet mali. Qua ratione facile  
 poterit non unã duntaxat, sed vel plures horas  
 traducere, continuis exercendis, semper novis,  
 diversisq; actibus summi odii adversus pec-  
 catum. Idèmq; experietur circa affectum  
 charitatis erga proximos: facilem exerceri ip-  
 sum quoque tot diversis actibus, quot pecu-  
 liaria sunt bona, quæ optare cuivis hominum  
 possumus. Idem circa zelum divinæ gloriæ,  
 in quo etiam tam numerosa apparet piorum  
 quæ luctuum, quæ desideriorũ varietas; quàm  
 multiplices modi sunt, quibus DEUS vel of-  
 fenditur, vel honorari magis, magisque ab  
 ho.

minibus potest. Idem uno verbo circa quemcunque alium ex affectibus in oratione concipi solitis : dummodo haud fatiſ habeat , unico illum generali actu exercere ; ſed curet ejus materiam , ac proinde etiam exercitationem in ſuas quaſvis partes , ſpeciésque dividere.

14. Nec diſſimilem curam in quarta itém parte adverte eſſe adhibendam : nempe in decretis , quæ orantis animus concipit , vitam in poſterum meditatæ veritati conſentaneam ducendi. Cùm ad horum efficacitatem plurimum conferat , ſi non ſummum tantummodo futuræ emendationis genus ſpectent , ſed ad infimas itidem , maximéque particulares illius differentias descendant. Nam , qui agenda non niſi univerſè decernit , dicens exempli gratiâ : nolo unquam irasci ; næ is perinde facit , ac ſi nihil decerneret. *Non oportet* ( inquit Ariſtoteles ) *hæc ſolum univerſaliter dicere , ſed etiam particularibus accommodare. Circa particularia enim actiones verſantur. ( L. 2. Eth. c. 7. )* Neutiquam igitur in generali ea voluntate debes ſubſiſtere : ſed , poſtquam dixeris : nolo unquam irasci , progreditor , uti monet Caſſianus , ad peculiareſ tui hujus propoſiti actus : ſubjungens , ideóque , ſi hæc , aut illa iræ occaſio ſe obtulerit , ſi hanc , aut illam mihi fieri

in-

injuriam continget; advertam diligenter, nè qua commotior mihi vox excidat: hásque, aut illas, quæ patientiam suadent, rationes in memoriam revocabo, dicámque hilari voce: *Sit Nomen Domini benedictum*: & eum, qui me laceffiverit, benevolo vultu intuebor. *Propositis sibi* (verba sunt citati modò Authoris) *multimodis injuriarum, dispendiorámque generibus, velut ab alio sibi irrogatis, assuefaciat mentem suam omnibus, quæ inferre improbitas potest, perfecta humilitate succumbere, atque aspera quæque, & intolerabilia frequenter opponens, quanta eis occurrere debeat lenitate, omni jugiter cordis contritione meditetur.* (Coll. 19. c. 14.) Nè multis, singulas, quæ incidere usquam possunt, irascendi occasiones tibi repræsentabis, leviores primò, & gradatim deinde alias: motus animi observans, quos excitaturæ in te sunt, simúlque argumenta, & cogitationes, quæ ad hos comprimendos plùs proderunt: nec non quibus verbis tunc uti, quámque in speciem componere vultum, oculos, & reliquum corpus te oporteat. Simili pacto, ubi virtutem aliquam, putà humilitatem exercere statueris, sedula cogitatione percurres tum interiores actus, qui proprii illius sunt, tum peculiare modos, quibus eandem hìc, atque illic profi-

te.

teri exteriùs licebit : certum aliquem illorum numerum præfenti die eliciendum definiens, nullóque horum non uti, ubi locus se dederit, statuens : juxta exemplum, ac morem boni illius è nostra Societate fratris Joannis Ximenii nomine : ( *In vit. Balt. Aluar. c. 45.* ) qui è villa, ubi totum diem varia inter ministeria impigre exegerat, ad Cæsar-Augustanum Collegium rediens, sic in via colloqui secum solebat. Hem, quò pergis Joannes ? Ad Collegium, ubi fessas diurnis laboribus vires tempestiva reficiam quiete. At quid, si eò vix appulsus jubearis hoc, vel illud novi operis exercere ? Nequaquam id fiet : nòrunt enim Præsides, quàm exercitus toto die in agro fuerim. Quid tamen, si re ipsa contingeret ? Tum verò, quidquid injunctum fuerit, prompto, & alacri animo excipiam. Conversusque ad DEUM : Fac ó ! fac Domine, ajebat, ut hæc mihi præbeatur, meum erga te obsequium declarandi occasio. Qui ritus sese præparandi ad singulos quosque actus, & eventus possibiles, si accuratè observetur ; efficacior multò erit, quæ ab orantibus concipi solet, vitæ melioris voluntas : majorque apparebit in iis, qui ordinariam meditationi operam navant, morum emendatio, & spiri-  
tua-

tualis profectus : nec præterea queri justè ullus poterit , materiam sibi deesse , circa quam meditando occupetur : cùm in prævidendis , ut diximus , tum singulis quibuslibet modis exequendi , quæ decrevit facere , tum difficultatibus , quæ illorum executioni impedimento esse possunt ; tum artibus , & præfidiis , quæ faciliorem eidem viam muniunt ; copiosum non ad unam modò , sed & plures ad horas inventurus mentis pabulum sit.

15. En igitur practicam , nullique non facilem per unius horæ spatium meditandi rationem. Ea est , prout jam dixi , & summatim hìc repeto , primum quadrantem in DEO submissè adorando , in gratiis illi agendis , in suis adversùs eum criminibus detestandis , in se illi penitùs devovendo , inque divina illius ope imploranda transfigere. Tum per semihoram , quæ sequitur , mentem , atque animum in delecta ad meditandum materia exercere , circa quodcunque illius caput quinque hæc curando : nempe ut aliquam veritatem practicam ibi reperiat , vividamque illius speciem menti suæ imprimat : ut perspiciat , quàm diversam ab ejus præscripto vitam retro egerit : ut de sua hac pravitate doleat , atque erubescat : ut rectiùs in posterum vivere apud se

se statuat: ut ad feriò, constantérque id præstandum se juvari à DEO petat. Deinum in postremo quadrante ad novum ineuntem diem quàm sanctissimè traducendum se comparare: animadvertendo tum culpas, quæ magis familiares sibi sunt, ut præcipuè ab iis caveat; tum actiones, quibus ad noctem usque occupabitur, & modum, quo uti debeat ad eas cum debita perfectione obeundas; tum actus virtutum, quorum hic, aut illic sese ipsi opportunitas dabit cum voluntate illos strenuè exercendi; tum diligentiam, quæ adhibenda sibi est, ut assiduam DEI præsentis memoriam die toto retineat.

16. Octavò, ultimòque occurrit quærendum, quid eos facere oporteat, quibus seu corporis invaletudo, seu aliqua perturbatio animi, seu tædium, atque ariditas impedimento sunt, nè commodè, libentérque orationi vacent? Respondetur: varia esse adversùs memoratas difficultates instrumenta, & præsidia, quibus, qui sedulò utetur, totam poterit sacræ exercitationis suæ horam, si minùs jucundè, & cum sensibili ardore pietatis, at cum justo saltèm operæ pretio, animique profectu transigere. Exordiendo itaque ab illis, qui queruntur, animum se habere quo-

vis aridiorem pumice, adeoque omni rerum  
divinarum sensu vacuum, ut has secum repu-  
tantes non afficiantur magis, quam si de la-  
pidum, aut lignorum strue cogitarent; tria  
his exhibeo, non parvæ ad fructuosam orati-  
onem efficacitatis remedia. Primum est, ut  
pro meditando materia aliquod ex objectis iis  
sumant, quæ majorem animos permovendi  
vim habent, & à quorum specie validius se  
commotos aliàs fuisse meminerint, acerbissi-  
mos putà DEI hominis cruciatus, vel brevi  
subeundam omnibus mortis necessitatem, vel  
immortalis vitæ gaudia, quæ pias in cælo ani-  
mas sub interitum corporis manent. Secun-  
dum, ut post expressos altiore voce quinque  
illos affectus, à quibus inchoandam orationem  
dixi, & tardè recitatum solennem Spiritus  
sancti hymnum, pergant eodem distinctæ,  
sublatæque vocis sono reliquas etiam medita-  
tionis partes, & præparationem ei adnexam  
obire: disertis scilicet verbis pronuntiare,  
quidquid tacita mente ruminari interiùs pos-  
sent: argumentantes contra se, jamque inter-  
rogantes, jam respondentes, jam suam objur-  
gantes ignaviam, jam validis se rationibus  
perurgentes ad ea efficienda, quæ justa esse  
cæteroqui fatentur, jam dissolventes, quæ ob-  
jj.



jici ex adverso possent, jam enucleatam, suasque omnes in partes digestam sibi proponentes eorum, quæ facienda decreverunt, praxim: denique ita secum differentes, ut cum alio differerent, quem convincere, & cui persuadere aliquid vellent. Quæ dissertatio, ut vividior sit, & ad animum expergefaciendum plus valeat, proderit eam identidem quasi animare gestibus concitatis, & circa res magni momenti, inque medio affectuum fervore adhiberi solitis. Hi siquidem & ad mentis intentionem excitandam plurimum faciunt, & adeo cæteroqui ob suam cum materia cognitionem haud merentur contemni, ut B. Angela Fulginiensis profiteatur, nunquam iis sese in orando non uti: (*In vit. c. 20.*) eò quòd experta interdum esset, sinè hac, ceu ipsa loquitur, *oratione corporea*, aliam purè spiritualem parùm sibi è sententia propter somni interpellationem, animique torporem cessisse. Tertium remedii genus fuerit, omisso rationationis suæ studio mentis pabulum, & cogitandi materiam ex pio aliquo libro desumere: ita ut illum sensim legant, & abrupta paulisper post singulas ferè periodos lectione doctrinam, quæ ibi continetur, suam in rem trahant, frugiferumque aliquem ex ea sensum,

aque affectum eliciant. Quæ remedia non aridis, & jejunis duntaxat, sed iis quoque usui erunt, qui aëreæ, vel igneæ indolis causâ nequeunt citra extraordinarium laborem, & conatum in eodem objecto diu mentem defigere. Neque seu hi, seu illi subiciant, propositas à me artes adjumento quidem sibi esse, ut meditationis tempus cum aliqua mentis attentione, piósq; inter actus traducant: at non itém, ut eam indè utilitatem hauriant, quæ præcipua est instituendæ sub diei exortum prolixioris orationis causa: illam nempe intimam veritatum supernaturalium perceptionem, divinæque charitatis flagrantiam, cujus beneficio reliquum diem universum vegeti, & alacres in sanctis affectibus, atque operibus transigant. Quamvis enim verè ista dicantur, optabiliúsque, & utilius sit absque prædictis impedimentis, & naturalibus vitiis orare; nihilo tamen minùs, ubi plenioris fructûs facultas, atque occasio intercluditur, eo contentum quemque oportet esse, qui referri pro tempore potest. Neque parvum sanè ipsi referent, solidam quotidie horam in rerum divinarum commentatione, esto, præter suam culpam, frigida, arenti, & exucca insu-  
mendo: cum habiliores multò futuri propterea

rea sint ad vitandas culpas, exercendas virtutes, pravâsque coërcendas cupiditates; quàm si nullam sacræ huic exercitationi operam darent. *Noli* (pro sua rerum asceticarum peritia scripsit Joannes Climacus) *noli, cum in oratione perduras, dicere nihil profeci. Quid enim esse sublimius potest, quàm adhærere Domino, atque cum illo in oratione jugiter perseverare?* (Grad. 28.) Absynthium, & aloë non ideo salubria esse desinunt, quia stomacho reluctante hauriuntur: neque panis cibarius, licet minus pomis, & bellariis sapiat, minus quoque illis nutrit.

17. Quod verò ad impedimenta orandi pertinet, proficisci ex perturbatione animi solita, quando hic scilicet finistri cujuscumque eventus, vel injuriæ acceptæ, aut occupationum, curarumque urgentium causâ, è tranquillo statu dimotus, vix admittere cogitationes alias potest, quàm terreni ejus objecti, à quo tunc possidetur; nullum ità commotis opportunius remedium invenio, quàm si pro meditando materia illud ipsum sibi sumant objectum, à quo nequeunt mentem avellere: ut, quod malè affectis terrenæ cupiditatis luminibus spectatum, instar veneni est, per sinceram rationis, fideique contemplationem an-

tidotum fiat. Quando igitur ab adversæ alijus, ingrataeque rei eventu perturbari tibi animum sentis; ipsammet illam coram DEO contemplandam sume perturbationis tuae causam: pensitans tecum, non tacita solum ratiocinatione, sed voce itidem disertis, ac sensibilibus verbis expressa, (miram quippe hoc remedii genus contra omnes interioris attentionis difficultates vim habet) quam exiguum, levisque, ac nullius penè momenti sit, quod te angit, si cum iis comparetur, quæ vel humanæ salutis assertor tui causâ volens ultro, libensque sustinuit, vel tam multi ejus famuli mira cum alacritate pro eo tolerârunt: pudoremque hinc concipiens, quòd vel tantillam ærumnam prompto, libentique animo accipere ex paternis illius manibus renuas, præsertim cum noveris, eam fortiter ex amore illius perferenti *æternum gloriae pondus* in cælo promitti. Quarum rationum vim exaggerare apud te ipsum perges, quoad inde permovearis, ad sustinendum non æquo duntaxat, sed & hilari animo, quod tibi ægritudinem eventu suo attulit: gratias ad extremum DEO agens, quod hanc tibi promerendæ amplioris gloriæ, tuique erga ipsum amoris declarandi occasionem præbuerit, paratûmque ip.

ipſi ad graviora etiam in eodem, & alio quovis genere ſubeunda te offerens. Simili ratione, ſi perturbatio conſiſtat in nimia ſollicitudine circa ſucceſſum negotiorum, quæ tractas, meditationis tuæ ſtudium, & labor ſit, evellere ex animo illius ſollicitudinis cauſas, quæ ſunt, juſto minor divinæ voluntati circa omnia ex illius nutu eventura ſubjectio; & juſto major terreni alicujus boni, commodi putà, vel honoris ex iis negotiis proventuri cupiditas: perpendendo rationes ipſis contrarias, quæque poſſunt te impellere ad voluntatem tuam promptè accommodandam divinis quibuſlibet circa tuas deſtinationes decretis, & ad moderandam æſtimationem, cupiditatemque illius boni, cujus incerta conſectio anxium te habet. Nec exigui ad diſcutiendam anxietatem momenti erit, ſi pro certo ſtatuas rem, quam urges, improſpere tibi ceſſuram: omnem idcirco de illius exitu ambiguitatem ab animo ejiciens, rationibus jam perpetuis te comparans ad eum, cùm ſuo tempore acciderit, æqui, bonique faciendum: imò etiam DEO affirmans, caſu illo, tametſi rationibus tuis, ac votis adverſo, quòd ab ipſo decretus, perque ipſius voluntatem eventurus ſit, omnino contentum te eſſe, jamque

nunc illū non aliter, quā si revera evenisset, plenissimo voluntatis assensu probare, & complecti.

18. Denique, si orandi difficultas ex malo capitis, aut stomachi habitu, vel alia corporis invaletudine originem ducat; utile erit, hujuscemodi intemperiiis vexato, materias meditandi sumere, quæ non ita enixam mentis attentionem requirunt: verbi gratiā formulam quampiam voce orandi ex cujus singulis verbis studeat aliquid pii sensūs eruere: vel ascetici alicujus libri doctrinam, cujus lectionem ad singulas ferè periodos interrumpat sedata ruminacione eorum, quæ legerit: vel rationem sanctè vivendi illo die prævisum culpis, quas cavere, tum occasionebus exercendarum virtutum, quas arripere tum peculiaribus modis, quos ad ordinarias suas functiones perfectè obeundas, observare in earum qualibet debeat: secundum præparationis illius formam, qua omnibus in extremo orationis quadrante utendum esse diximus, sed quæ ab ipso, utpote exercitium facilius, poterit per totam illius horam extendi. Quamquàm fortè adhuc consultius faciet, si pronica meditandi materia ipsammet suam invaletudinem sumpserit, duo ibi considerans:  
pri-

primò scilicet rationes, cur eam æquo animo debeat ferre, quia nimirum à DEO, supremo suo Domino, & amantissimo Patre, majoris boni sui causâ decretam. Secundò effectus, qui provenire ex ea possunt, alios salubres, si Sanctorum more; alios noxios, si negligentiorum ritu illam ferat: & modum postremò decernens, qui adhibendus sibi sit, ut & illorum compos fieri, & hos prohibere à se possit. In summa, qui præ corporis ægritudine onerosum experitur meditationis laborem, moderatè huic vacare, & suaviter debet: adeò ut nè contendat illos in se excire vehementium affectuum ardores, qui præsentì temporì haud congruunt, neque vim capiti inferat, defigendo, suprâ quàm illius vires patiuntur, mentis attentionem in proposita ad meditandum materia: sed vel aliquo ex modis hæcenus dictis mentem exerceat, vel placidè coram DEO se constituat, delectâque ad animi pabulum una quapiam ex sapientissimis, quas fides nostra habeat, materiis, incomparabili putâ DEI amabilitate, vel felicissima animarum ei penitè adhærentium sorte, vel alia simili, incipiat sinè ulla secuturi indè effectûs solitudine, & more animum potiùs remittentis, quàm necessaria occupatione distenti,

eam contemplari, donec ab eo simplici intuitu levem quempiam piæ delectationis, vel pii desiderii motum excitari suo in animo sentiat: suspendens dehinc omne saltè deliberatum, statutumque mentis exercitium, & in illa duntaxat spontanea, tranquilla, ac penè insensibili erga cæleste suum objectum propensione se continens: ità tamen, ut, si fortè animadverteret, hanc profanis cogitationibus locum cessisse, intermissos mentis actus resumat, ab iisque paulò post ad pristinam cessationem se referat: alternando ità pluries actionem, & requiem, nè aut illa defatiget; aut hæc in ignavi soporis speciem, & terrenarum cogitationum quasi somnia desciscat.

19. Frustrà tamen prædictis circa proximæ meditationis interrogationibus respondiissem, nisi meas responsiones defenderem à calumniis iis facilè impingenda, doctrinæ parùm naturalis, affectatæque, & simplicitati amoris contrariæ: qui (ut nonnulli hinc subjicient liberioris ingenii censores) amantem utique incitat ad cogitandum quàm assiduissimè de persona, réque amata: sed non ità, ut ad id faciendum certam sibi temporis mensuram, & hanc potiùs, quàm illam diei partem præfiniat: utque priùs diligenter se comparet, in-  
que



que tali loco constituat, five ullam demum ex  
iis circumstantiis, & legibus seruet, quas nos  
meditationi præscripsimus. Unde nullum  
est reperire inter homines, qui circa objectū  
singulariter sibi charum mentem occupans,  
vel tantillum de talibus regulis cogitet. Imò  
si ab aliquo fors moneretur, ut faciat id prima  
diei hora, inque remoto ab arbitris loco, &  
rite antea præparatus, conformatoque in  
hunc, vel illum peculiarem situm corpore;  
næ talia monentem cum risu, & stomacho à  
se abigeret. Apage ista, respondens, super-  
stitiosarum observationum, & Pharisaicorum  
rituum commenta. Itane opus mihi sit præ-  
paratione, aliisque artificiis ad contemplan-  
dum, quod amo? Si minùs sub diei exortum,  
& secreto in conclavi, stansque erectus id fe-  
cero, faciam pomeridianis horis, faciam de-  
ambulans, faciam in triviis, hominùmque fre-  
quentia. *Ama, & fac, quod vis.* Nihil est a-  
more liberius, nihil impatientius, certis legi-  
bus, regulisque, & præceptis constringi. Ip-  
se lex, & regula est, cum sua, tum cæterorum  
quorumvis actuum: nisi sua sponte, proprio-  
que ex instinctu operetur, nequaquam ope-  
ratur ut amor.

26. Objectio aliquam præfert veri speciem, sed nîl præter speciem. Ut ergo hanc quoque illi tollam, respondeo: si id solum naturale appellari mereatur, quod citra delectum absque deliberato voluntatis imperio, nulloque dirigente artis, & prudentiæ ductu agimus, praxim divina meditandi hîc à nobis propositam, neutiquam naturalem futuram. At, si ( prout res verè se habet ) hujus nominis significatione comprehenditur, quidquid juxta naturam est tum illius, qui operatur, tum principii, à quo idem ad operandum impellitur; tam certò, indubitantèrque naturalis ea dici meretur, quàm à nemine revocari in dubium potest, quin juxta naturam cujusque rei sit, quod ad primarium illius finem conducit, vel primarius divini amoris, & cuiuslibet, qui ex divino amore operatur, finis sit DEO famulari, & placere; vel demum altatæ hîc à nobis regulæ ad meliùs orandum, & proinde ad DEO exactiùs famulandum, & magis placendum conducant. Neque exempla amoris humani quidquam in oppositum valent. Esto siquidem hic plerumque nos moveat ad cogitandum de iis, quos amamus, sine ullo artificio, delectuque certi loci, vel temporis; id tamen usuvenit, cùm cogitatio nihil

hil præter se, & suam in objecto contemplan-  
do delectationem, ac quietem propositum ha-  
bet. Nam cæteroqui, si consideratio ad acti-  
onem collimet, qua personæ dilectæ honori,  
vel commodis in aliquo administrando nego-  
tio seruiatur, videmus tunc, homines ab amo-  
re suo impelli ad cogitandum de modis, qui-  
bus finem propositum assequi certius valeant,  
in eaque cogitatione acriter mentem intende-  
re, &, quod temporis necesse sit, illi assigna-  
re. Quod si neque ibi propositas à nobis ar-  
tes, & regulas sollicitè adhibent, ratio hujus  
rei est, quia amor humanus, cum in objecta  
sensibilia feratur, majus obtinet supra sensi-  
biles imaginandi, & appetendi facultates do-  
minium, promptiorique earum ministerio  
in operationibus suis adjuvatur; quàm divi-  
nus, utpote objecti à sensibilibus remotissimi,  
& vix ipsa mentis acie attingendi, amor. Qua-  
propter, ceu magna cum facultate, & vehe-  
menti cum affectu in suis objectis, & rebus ad  
ea pertinentibus animam figit; ità minimè in-  
diget præcedenti ullo studio, locique peculia-  
ris delectu, & hoc, vel illo corporis situ ad id  
efficiendum juvari: neque periclitatur, minùs  
diu, quàm necesse sit, iis mentem intendere,  
nisi huic negotio certum quotidie temporis  
spa-

spatium præscripserit. Contrà verò amor divinus, cùm imaginandi vim, & appetitum sensibilem in altissimi objecti sui consideratione impedimento sibi esse potiùs, quàm auxilio experiatur, ut ad justum tempus, & debita cum attentione illi vacet; regularum id genus instrumentis, subsidiisque uti opus habet. Præsertim quòd præter hæctenus dicta finis practicus ipsi propositus, non ità curtus, facilisque est, ut, qui humano ab amore spectatur. Ad serviendum quippe, & placendum amicis mortalibus, non nisi certis quibusdam actionibus, eisque ut plurimum externis opus est. At serviendi, & placendi Deo studium omnes tam interiores, quàm externos humanæ vitæ actus complectitur. Unde, quantò amplior, difficiliórque hic materia est, tantò attentioem, & sollicitam magis considerationem requirit. Concludo itaque, juxta amoris naturam esse, instrumentis, & subsidiis ad objectum suum rite considerandum necessariis uti: quorum quia plurà divino, quàm humano amori sunt necessaria; ideò multa ab illo congruenter ad naturam suam usurpantur, quæ, si ab hoc adhiberentur, superfluitatis suæ causâ affectata, & præter naturam mererentur vocari.